

- Hoc^g) interim veraciter dicere possum, quia non parvo experimento didici compati illi, cui spiritus sanctus in psalmo dicit: *In tribulatione invocasti me et liberavi te, exaudivi te in abscondito tempestatis, probavi te apud aquam contradictionis*¹⁾. Ipse est Ioseph, cuius calamitatis
- 5 tam breve quam mirabile preconium precedens versiculus taliter edixit: *Linguam, quam non noverat, audivit*²⁾. Secundum historiam^{h)} recapitulatioⁱ⁾³⁾ est sive parenthesis, id est interpositio. Non enim quando exivit tribus Ioseph de terra Egypti, sed quando intravit ipse adolescens Ioseph et servivit in terra Egypti, tunc *linguam, quam non noverat,*
- 10 *audivit et manus eius in cophino*^{k)} *servierunt*, donec *divertit Deus ab oneribus dorsum eius*⁴⁾. Sermo ergo vel sensus integer hic est: Cum Ioseph, id est tribus Ioseph sive omnis Israel exiret de terra Egypti, ubi servierant filii Israel propter peccatum, quia vendiderant Ioseph fratres sui, ubi primus ipse serviens *linguam, quam non noverat, audivit*²⁾, propter quod
- 15 iuste retributum est illis, ut servirent etiam ipsi, cum (inquam) exiret Ioseph, id est Israel referens ossa Ioseph de terra Egypti, testimonium hoc posuit in eo Deus adiutor noster, Deus Iacob: *In tribulatione invocasti me et liberavi te, exaudivi te in abscondito tempestatis*⁵⁾ et cetera usque ad finem psalmi. Quorsum istud? Eo nimirum, ut ex me ipso
- 20 mihi compertum esse^{l)} fatear, non parvam fuisse calamitatis eius partem hoc ipsum, quod in serviendo et dorso onera ferendo *linguam quam non noverat audivit*²⁾ diu tribulatus antequam consuevisset^{m)} commercia lingue illorumⁿ⁾, quibus famulabatur. Preterea cum *habitaret in domo domini sui, qui optime noverat Dominum esse cum eo et omnia que*
- 25 *gerebat ab eo dirigi in manus illius*, a quo et prepositus gubernabat *sibi creditam domum*^{o)}⁶⁾, numquid facile vel absque labore invidiam virtute superabat? Putasne quod nullus nequam ibi fuerit oculus⁷⁾, qui gravaretur eo quod inquilinus immo et servus emptitius tanta domini sui gratia preferretur super omnes domesticos eius et super omnem rem
- 30 familiarem eius? Vere sapiens quidam dicit: *Qui non est temptatus, quid scit?*⁸⁾ Temptatio namque similis eum qui temptatur^{p)} de similibus

g) Hoc bis S. 459/3 exaudivit fehlt J h) ystoriā B i) recapitulo M k) cophino B l) esse fehlt B m) assuevisset AM n) eorum B o) domum creditam B p) tentatur AM stets, auch tentatio

1) Ps. 80, 8 2) ib. 6 3) Zur exegetischen recapitulatio (rückgreifende Beziehung und Deutung) s. Tyconius, *Liber regularum* c. 6: De recapitulatione (ed. F. C. Burkitt, *The book of rules of Tyconius, Texts and studies* ed. J. A. Robinson III, 1, Cambridge 1894, S. 66 ff.); vgl. Augustinus, *De doctrina christiana* III, 30 u. 36, Corp. Christ. lat. 32 (1962) 102 u. 111 f.; *De civitate Dei* XV, 21, ebd. 48 (1955) 487 4) Ps. 80, 6—7 5) ib. 8 6) Gen. 39, 2—4 7) Vgl. Matth. 6, 23; Luc. 11, 34 8) Eccli. 34, 9